

debeat ad suum Superiorem, vel hujus delegatum, ut isti se subjiciat, & etiam hoc intuitu ab hisce perpetrandis abstineat.

CAS. II. Gneus adhuc infantulus ductus fuit ad locum eorum, quorum Pater, & Mater ignorantur. Q. an sit irregularis ratione natalium; & quam poenam incurant sic exponentes infantes?

Respondeo quantum ad primam partem in rigore juris ipsum non esse irregularē ratione natalium. Ratio est, quia hæc irregularitas nullibi reperitur expressa; immo Gregorius XIV. anno 1591. contrariam declaravit quoad expositos Confraternitatis S. Spiritus Romæ, quos pro legitimis, & capacibus Ordinum, ac Beneficiorum haberi voluit, & quidem non tam in gratiam dictæ confraternitatis, quain ipsorum expositorum; noverat enim etiam illico duci plures legitimos, prout fit in aliis locis. Sed ubi irregularitas expressa non est, ibi adstrui non debet, cap. 15. qui de Sent. Excomm. in 6. præcipue cum adest Pontifícia Constitutio in contrarium: Ergo &c. neque diccas, in obscuris attendi quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consuevit, juxta reg. 45. juris in 6.; unde cum verisimilius sit, expositos esse illegitimos, sæpiusque exponantur illegitimi, quam alii (ex 100. namque expositis, teste Garcia, & aliis, plusquam 90. sunt illegitimi); ideo &c. Contra enim, cum ducti ad præfata loca ut plurimum ignoti sint, ac delati secretio, plane non percipio, qua veracitate isti AA. adeo asseveranter referre potuerint ex 100. plusquam 90. esse illegitimos. Verum quidem est, ad hujusmodi loca plures illegitimos deferri; at simul etiam verum est, eo duci plures legitimos, ob parentum inopiam, aliasque causas, Deo, ac ducentibus notis. An tamen numerus illegitimorum adeo excedat illum legitimorum, censeo, non posse certo affirmari; proindeque promiscuam hanc delationem, dubiam quidem efficere cujusque delati qualitatem; sed quia in dubio, extra easum de homicidio, quis haberi non deber pro irregulari, ut est communis opinio, ac fuse probat Bossius de Consc. dub. part. 2. tit. 1. §. 40. ideo dico, Gneum in casu de rigore juris non esse irregularē. Neque replices, Glossam illegitimum eum dicere, qui Patrem ostendere non potest; vel si ostendit, verecundum ostendit; hinc cum Gneus nequeat Patrem ostendere, eum esse illegitimum; ac propterea hujusmodi ductos vocari *Bastardinos*. Contra enim, dictum Glossæ non est universaliter verum, quot enim legitimi illuc ducuntur, qui tamen Patrem ostendere non possunt? Verum quoque non est, quod universaliter vocentur *Bastardini*; nam Pisis, & alibi, vocantur *Innocentes*, eorumque locus *Hospitale Innocentium*. Deinde loquela populi non facit jus, ut ait Baldus in 1. Nutritoribus C. commun. de Succession. Cæterum hæc dicta velim attento jure communi, sicubi enim adsit lex aliqua particularis, vel consuetudo, ut pro illegitimis, ac irregularibus habeantur; ibi eidem standum esse non inficior. Quantum postea ad sec. part. dico, Patrem sine justa causa sic exponentem filium, in in hunc amittere patriam potestatem; & si Patronus exponat libertum, aut Dominus servum, in hunc amittere jus servitutis. Textus est clarus in Jure Canon. cap. unico de Infant. expos. & in Jur. Civ. lib. 4. C. de Infant. expos. Dico sine justa causa; ex causa enim justa id faciens, puta, quia aliter nequit ipsum alere, hanc poenam non incurrit, cum non deserviat in in-

fantem, sed potius eidem consulat. Rosignolus de Matrim. 9. disquis. 5. §. 4. num. 3. Secundo, privatut jure successionis ad bona ipsius expositi, si quæ habuerit. Non enim æquitas postulat, ut qui filios necare dicuntur, necare, ff. de lib. agnosc. in bonis, quæ habuerint, succedere debeat: Saminiatus controv. 73. num. 18. & seq. Tertio, Pater exponens filium, vel filiam, non acquirit quoad usumfructum bona adventitia, quæ forte acquirunt filii, vel filiae expositæ; siquidem fundamentum talis usufructus est patria potestas, qua juxta dicta privatur. An tamen amittat usumfructum bonorum adventitorum, quem acquisiverat ante expositionem, ac omissionem patriæ potestatis, communius negatur, quia patria potestas requiritur in origine ad acquirendum, non vero ad continuandum post legitimam acquisitionem: Baldus in l. 3. C. de usufructu. Posse nihilominus in poenam à Judice privari, tradit Rosignolus loc. cit. num. 11. Quarto denique subest poenæ extraordinariæ, Judicis arbitrio: & si dives sit, est sententia satis communis, quod teneatur loco reficere expensas. V. Rosignolum ibid. hanc materiam fuse discutientem.

CAS. III. Mercator quidam acceptas litteras, queis monebatur de superventura penuria aromatum, laceravit, & abjecit; illas tamen collegit alius Mercator, qui tale nuntium in sui utilitatem vertens, illum prævenit in emptione, & ex copia emptorum aromatum lucrum præcipuit. Q. an hic in justitiam in illum commiserit?

Respondeo probabilius videri, quod non. Ratio est, quia statim ac Mercator acceptas litteras laceravit, & in publicum locum earumdem fragmenta abjecit, videtur eadem non amplius curasse, ac tacite cessisse juri suo; ne ab alio lectioni aptarentur, ac legerentur. Quæ enim sic in publicam viam dejiciuntur, communiter pro derelictis habentur: eaque tunc legere ex mera curiositate, veniale est; & si id fiat, ut ex illa notitia quis sibi prævideat, nullum peccatum est; nam quod pro derelicto habetur in usum suum convertere licet; ut post S. Antoninum, Sylvestrum, & alios tradit Roncanglia de 7. præc. Dec. cap. 4. quæst. 5. res. II. & si qui illa fragmenta abjecit, de hoc est invitus, est invitus irrationaliter; debebat enim ea comburere, non vero in publicum dejicere, si ea legi nolebat; Rosignolus de Restit. 1. disq. 2. §. 35. Hinc sicuti si Mercator, qui tales litteras accepérat, easdem in publico legisset voce adeo alta, ut alius Mercator percepisset in iis contentum, hic absque in justitia vertere potuisse tale nuntium in sui utilitatem, præveniendo in emptione ipsum Mercatorem legentem, & ex copia emptorum aromatum lucrum præcipere: ita videtur, absque ulla in eumdem in justitia se gessisse in casu præsentiu.

M E N S E S E P T E M B R I S.

CAS. I. CReditor Francisci videns, se creditum suum recuperare non posse, quasi desperans illi remittit partem debiti, si reliquum solvar; quod fit, Q. an debitor hoc tantum solvens, sit tutus in conscientia?

Resp. cum dist. Vel debitor culpabiliter se gessit in solutione facienda Cre-

Creditori, vel non. Si non, dico, ipsum esse tutum in conscientia. Ratio est, quia ubi mora in solvendo non est culpabilis, sed provenit ex impotencia physica, vel morali, excusabile reddit ipsum debitorem, qui propterea cum creditore, contento de mera solutione partis, potest de hactantum solvenda licite convenire, supposito, quod hic sit sui juris, Dominus totius summæ &c. nam ex una parte ipse ad integrum solutionem supponitur impotens; ex alia creditor non ita convenit proprie coactus à debitore, sed ex suæ liberæ voluntatis arbitrio: & reliquum eidem remittit, volens, ac potens illud ei remittit, sicuti ex liberalitate illi etiam posset totum remittere. Si postea debitor, in solutione creditor facienda, se gessit culpabiliter, puta, fingendo se physice, aut moraliter impotentem ad solutionem totius summæ, quando vere erat, aut est potens per integrum solvere, vel protractit data opera solutionem, ut creditor tandem lassus petere totam summam, ac videns se habere non posse totum id, quod ipsi debetur, partem ei remitteret; & in tali casu dico, debitorem id tantum solventem, non esse tutum in conscientia. Ratio est, quia tunc remissio non est proprie volita à creditore, sed coacta, & per fraudem extorta, conventa ne cogatur totum amittere: quod plane efficit remissionem invalidam, unde Franciscus in casu non est certe tutus in conscientia. Giribaldus de Restit. cap. 6. dub. 5. aliisque comm.

CAS. II. Sejus indigens nummis sponte offert Cajo se illi daturum quinquaginta, si pro uno anno ipsi mutuet mille. Consentit hic, & acceptis quinquaginta, mutuo dat Sejo nongenta quinquaginta pro mille. Q. an licet hujusmodi contractus.

Resp. neg. Ratio est, quia Cajus sic non mutuat Sejo mille, sed tantum 950. & tamen percipit interesse, perinde ac si mille mutuasset, in quo est manifesta injustitia, ut recte docent Castropalaus, Cardenas, & Spoter. Non licet propterea hujusmodi contractum, est manifestum.

CAS. III. Testis pro veritate dicenda in judicio pretium accepit. Q. an istud restituere teneatur?

Respondeo affirmative cum S. Thoma 2. 2. quæst. 71. art. 4. Ratio est, quia licet quis non semper teneatur ex justitia testificari, tamen semel ac semetipsum obligavit, seu obtulit ad testificandum, tenetur ex justitia dicere veritatem; ut cum communis docet Giribaldus de Restitutione, cap. 4. dub. 3. Unde cum accepta pro onere debito ex justitia subsint oneri restitutionis, eo quia secus manifeste violaretur æqualitas, si pro eo quod jam ex justitia absolute debitum est, aliquid amplius acciperetur; hinc fit, quod si is, qui assumpsit onus testificandi (cujusmodi est testis, de quo nobis sermo), accepit pretium pro veritate dicenda in judicio, teneatur pretium acceptum restituere, cum ipsi indebitum fuerit. Propterea S. Augustinus, quem refert Angelicus Doctor loc. cit. Epist. 54. ad Muced. ait: Non debere Judicem vendere justum judicium; nec testem verum testimonium. Quamquam vero à teste nihil accipi possit pro ipsa veritate dicenda, seu pro ipsomet testimonio veritatis, cum hoc in se nullum laborem, nullamque novam obligationem contineat, eo quod unus-

unusquisque jure divino dicere tenetur veritatem; tamen si testis facere debuisset expensas, aut labores sustinere pro accessu ad Judicem, ut verum testimonium ferret, aut si se privare debuisset valore operarum: uno verbo, illi inde emersisset aliquod damnum; seu lucrum cessasset; tunc certe in his, & aliis similibus casibus potuisset ob hæc alia motiva licite aliquid accipere, immo & exigere in refectionem, levamen, ac compensationem, judicio prudentis; hæc enim pretio æstimabilia sunt, & nemo militat suis stipendiis.

### M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. Franciscus falso infamavit de gravi crimine Petrum coram duobus, vel tribus, quos etiam scit id aliis retulisse. Q. an teneatur se retractare etiam coram illis, quibus hi duo, vel tres idem crimen retulerunt?

Respondeo cum distinctione. Vel hi duo, vel tres, qui id aliis retulerunt, sunt dispositi ad semetipsum coram istis retractandos, vel non. Si sunt dispositi, dico, Franciscum non teneri se retractare etiam coram illis &c. esto enim falsa, & infamatoria relatio, etiam ab his duobus, vel tribus aliis facta, ortum habuerit ac originem à falsa & infamatoria relatione immediate facta à Francisco; tamen causa proxima infamacionis Petri penes hos ultimos fuerunt hi duo, vel tres: qui propterea si semetipsum debito modo retractant coram iis, penes quos infamarunt de gravi criminis Petrum, & ab hoc delent notam infamiae, quam eidem intulerant; ea plane amplius delenda non superest à Francisco, ni forte istius contestatio necessaria foret ad prorsus delendam malam impressionem causatam, in quo casu concedo & ego, Franciscum teneri etiam coram his contestari, ut Petro integra sua fama restituatur. Cæterum si hoc sufficienter præstet ab iis duobus, vel tribus, tunc non tenetur Franciscus id amplius præstare: eo plane modo, quo nil tenetur amplius restituere qui furum mandavit, si fur qui rem abstulerat, per integrum Domino restituit, eidemque per integrum satisfaciat. Si postea ii duo, vel tres non sint dispositi &c. in tali casu subdistinguo: Vel quando Franciscus penes istos Petrum infamavit, prævidit, aut prævidere facile potuit, istos non fore auditum Petri crimen celaturos; & tunc dico, ipsum teneri se retractare etiam coram illis &c. eo quia in tali casu etiam ab istis facta retractio fuit à Francisco volita in causa, ut recte inquit Petrus Navarro, & Lessius, ac ipse per suam detractionem fuit causa hujus secundæ detractionis. Jam vero qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, ut pluries legitur in jure; quod proinde reparare tenetur. Vel non prævidit, nec prævidere facile potuit, præfatos non fore auditum Petri crimen celaturos; & in hoc casu dico, Franciscum non teneri &c. quia hæc secunda retractio ipsi non fuit proprie voluntaria, cum sit respectu ipsius secuta per accidens.

CAS. II. Infamatorii quidem, sed veri criminis Petrus fuit accusatus, ac per justam Judicis sententiam condemnatus; tractu tamen temporis illius in-

infamia abiit in oblivionem. Q. an sine gravi læsione charitatis, & justitiae, possit quis delicti conscius illud ignorantibus manifestare.

Respondeo non posse in casu delicti concium illud ignorantibus manifestare sine gravi læsione charitatis, supposito, quod desit justia & rationabilis causa id faciendi. Ratio est, quia hujusmodi relatio in primis est ex natura sua graviter contristativa fratri, qui si id sciret, certe rationabili de ea graviter contristaretur. Deinde semel ac per oblivionem ejus infamia deleta est, est contra ipsummet jus naturae, quod ei denuo impingatur absque urgente, & rationabili causa, adeoque contra charitatem. Dixi supposito, &c. quia si necesse sit illud crimen manifestare, ex caus. ob justam defensam, tunc sine ulla læsione charitatis id fieri potest; namordo charitatis postulat, ut potius mihi, quam alteri consulam, si aliter me juste defendere non valeo. An postea id sit etiam cum gravi læsione justitiae negant plures, si sententia Judicis non solum fuit justa, verum etiam publica: Affirmant vero, si publica non fuit. Ratio primæ partis est, quia quando fuit etiam publica, per hanc reus absolute, ac in universum amisit jus ad famam, ac secretum ipsi servandum; ea namque expressa intentione delinquentes per sententiam puniuntur, ut eorum delictum, ac pena omnibus, & semper innotescant, & sic alii horrore poenæ à delinquendo arceantur. Ratio secundæ partis est, quia quando sententia, ac punitio non fuit publica, condemnatus adhuc retinuit jus ad famam penes ignorantes ejus crimen, & hujusmodi sententiam, ac punctionem: cum enim Judex ipsum non diffamaverit per sententiam publicam, tali jure non fuit à Judice privatus; & sic qui penes ignorantes ejus delictum manifestat, violat jus illius, maxime si infamia, inde orta, tractu temporis abiit in oblivionem: & per consequens cum violet ejus jus in re gravi, intervenit in hoc casu etiam gravis læsio justitiae. Fateor equidem hanc sententiam mihi non displicere. Ast quia considero, quod quando humana Justitia revera vult alicujus delinquentis infamiam in universum, ac pro semper, ponit ad perpetuam memoriam eidem monumentum infamiae, lapidem scilicet infamatorium, aut columnam cum inscriptione; ideo hinc infero pro aliis casibus potius regulam in contrarium, eamque quidem esse Principum, ac Judicum intentionem in puniendis aliis delinquentibus, ut à pena istis inflicta generaliter alii discant à facinoribus abstinere; ceterum mentem ipsorum non esse, quod quicunque, etiam publica sententia condemnatus, in æternum infamis vivat, etiamsi semetipsum emendet, & rectam adeo vitam ducat, ut tractu temporis illius infamia abeat in oblivionem. Quare sentio cum Cord. de Detr. q. 2. concl. 6. cui propendere videtur Cunigliati de Rest. Fam. §. 4. num. 8. non sine gravi læsione etiam justitiae posse delicti concium illud ignorantibus in casu manifestare. Ratio est, quia sicuti non licet absque gravi læsione justitiae auferre bona ab eo, qui illis per sententiam privatus fuerat, si illa juste iterum acquisierit, ita nec licet famam auferre ab eo, qui per sententiam illam amiserat, si eam iterum juste acquisierit.

CAS. III. Refert quis alii auditum grave crimen alterius, testificando tamen se illud referre, non ut verum, sed ut auditum. Q. an talis relatio sit vera detractio, restitutioni obnoxia.

Res-

Resp. cum dist. Vel referens ex iis est, queis nulla, vel saltem modica fides haberi solet, & crimen refert in circumstantia, in qua prævidet, neminem ex audientibus ipsi crediturum; & tunc dico, talem relationem non esse veram detractionem restitutioni obnoxiam; detractio namque obnoxia restitutioni est alienæ famæ occulta, & injusta læsio, seu denigratio, quæ in isto casu non intervenit, cum referenti supponatur à nemine fidem præstari. Vel referens ex iis est, quibus, etsi mere auditum narrantibus, fides præstari solet; aut talem relationem facit in circumstantia, in qua prævidet, aliquem ex audientibus ipsi fidem præstirum, & auditum crimen pro vero habiturum; & tunc dico, hujusmodi relationem esse veram detractionem, & restitutioni obnoxiam penes eum, vel eos, quos credit ipsi fidem præstare, & auditum crimen pro vero habere. Ratio est, quia penes istos relator occulit ac iuste vere lædit, denigrat, & corruptit famam alterius; juxta illud Angelici Praeceptoris 2. 2. q. 73. art. 1. ad 2. Si uni soli aliquis de absente malum dicat, corruptit famam ejus. Nec refert, quod crimen non referat ut verum, sed ut mere auditum; nam cum in praesenti circumstantia supponatur prævidere, aliquem ex audientibus, ipsi hoc non obstante fidem præstirum, ac pro vero habiturum crimen de altero ab ipso relatum, tenetur ex justitia à tali relatione abstinere, alias evincitur velle illam læsionem; sicuti evincitur velle scandalum, qui cum hujus prævisione coram aliis catnem comedie in die jejunii. Propterea dicebat Apostolus: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Neque reponas, læsionem in casu evenire per accidens, ac ex sola levitate, seu malitia credentis crimen ut verum, cum relator ipsum ut tale non refuerat, sed ut auditum. Contra enim, debitores sumus sapientibus, & insipientibus, ut innuebat idem Apostolus. Unde cum humana imbecillitas prona sit ad potius male credendum de proximo, quam bene, ad evitandam penes hos infamationem, debet coram iis conticere, & alterius crimen neque ut auditum coram ipsis referre; secus, stante dicta prævisione, volendo expresse relationem criminis, implicite ac virtualiter vult subsequentem infamationem apud istos; nam qui vult antecedens, vult etiam necessarium consequens, cap. Præterea de Offic. deleg. l. 2. ff. de Juris. omn. Jud. Addo, experientia compertum esse, in hujusmodi casibus bonam opinionem alterius in aliquo ex audientibus, ut plurimum transire ad statum opinionis saltem dubiae in re graviter famam lædente, cum supponatur referri crimen grave: Ergo est gravis diminutio famæ, ac vera detracio. Et sane si de te, qui haec legis, & quem suppono virum honestum, ac optimæ opinionis, & famæ apud omnes, aliisque referret coram pluribus, se audivisse te esse virum in honestum vel latronem, vel &c. adeo ut, stante hac relatione, penes unum, vel plures, alias bona de te opinio ad statum dubietatis reducetur, si tu in hujus notitiam devenires; nonne id tibi non solum graviter displiceret, verum etiam notabiliter in fama præjudicatum dices penes illos? Puto quod sic, si rem bene percipis. Ergo idem quoque dicendum in casu, adeoque quod sit vera detractio, restitutioni obnoxia.

XXX

MEN-

CAS. I. Petronius statuit dare amico centum, simul intendens semetipsum obligare in conscientia ad id executioni mandandum. Q. an si hoc postea non impleat, sit perjurus.

Respondeo cum dist. Vel per illam deliberationem obligandi se in conscientia Petronius habuit animum jurandi: Vel non. Si non; dico, quod si hoc postea non impleat, non est perjurus. Ratio est, quia deliberatio simpliciter obligandi se in conscientia, nec in se est juramentum, cum non sit vocatio Dei in testem; nec fert secum necessario juramentum, cum quis optime possit habere animum se in conscientia obligandi ex simplici fidelitate per promissionem; absque eo quod habeat animum se etiam obligandi ex religione per juramentum. Unde supposito, quod Petronius simpliciter intenderit obligare se in conscientia secluso animo jurandi, etiamsi postea non impleat id, ad cuius executionem intendit se in conscientia obligare, profecto non est perjurus; ubi enim animus jurandi non intervenit, juramentum obligare non potest, cum hujusmodi obligatiorem præcedere debeat animus jurandi; ut recte docent Cajetanus in 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. & Sotus lib. de Just. quæst. 1. art. 7. arg. 4. Nec refert, quod solus Deus sit testis conscientiae; & promissio facta cum animo se obligandi in conscientia, aliquo modo Deum respiciat. Cum enim, hoo non obstante, Deus non fuerit vocatus in testem, ne quidem, implicite, quod saltem necessarium est, ut quis jurasse censeatur; ideo non interfuit juramentum, & per consequens postea non implendo quod promisit, Petronius non est perjurus. Quod si per illam deliberationem se obligandi in conscientia habuit animum jurandi, tunc oppositum assero; sic enim se obligando, virtualiter ac implicite vocavit Deum in testem promissionis à se factæ, ac obligationis à se contractæ, quam proinde postea non impletio, est perjurus.

CAS. II. Ego tibi centum cum juramento absolute promisi, sine respectu alicuius rei à te mihi promissæ: tu quoque aliquid mihi promisisti sine respectu ad centum à me tibi promissa. Q. an si tu mihi promissum tuum adimplere nolis, possim ego, absque perjurio, illa centum tibi non solvere, in compensationem rei à te mihi promissæ, & non soluta.

Resp. probabilis videri quod non. Ratio est, quia licet obligatio vere fuerit hinc inde contracta; tamen fuit contracta absolute, ac sine respectu ad rem à te mihi promisam; idemque quantumvis tu mihi promissum tuum non adimpleas, teneor ego ratione absolutæ, ac juratæ meæ promissionis tibi dare quod promissi. Et quamvis tu, ob fractam mihi fidem, indignus sis, cui ego promissum servem; Deus tamen, quem ego in fidejussorem ac testem promissionis meæ vocavi, meretur, ac dignus est, ut ipsum ego non efficiam testem falsitatis; prout ipsum efficerem, si præfata compensationis prætextu tibi ea centum non solverem, quæ sub juramento tibi promisi. Nec refert trita illa adversariorum responsio penes Giribald. de Jur. c. 2. dub. 7. n. 54. quod scilicet, cum compensatio sit quædam solutio, Deus in casu non fieret testis falsitatis, quia (supposito quod res à te mihi

pro-

promissa æquivaleat centum à me tibi promissis) non solvendo tibi mea centum in compensationem rei à te mihi promissæ, & non soluta, per talen compensationem adhuc vere solvetem, & quidem ad æqualitatem integræ meæ promissionis juratæ. Non refert, inquam, quia compensatio non est vera solutio, sed ficta, l. si cum filio, ff. de Compensat. & promissio jurata non adimperatur per æquivalens, sed exequi debet in forma specifica; ut pro tei veritate colligitur ex cap. Ad nostram l. y. Jurejur. Cum enim quidam debitores, qui sub juramento certas possessiones, ac redditus oppignoraverant, donec ex iis solverent debitum, dein contra juramentum eisdem possessiones subtraxissent antequam creditor de possessionibus illis, & redditibus sortem, deductis expensis, receperisset; Alexander III. ibi prescribit Rothomagensi Archiepiscopo, ut Ecclesiastica censura cogat præfatos debitores restituere dictas possessiones ac redditus, donec creditori pecuniam, sicut juraverunt, persolverint. Ad quid mehercle mandare, nedum reddituum, verum & possessionum restitutionem, si implemento juratæ promissionis sufficeret sequestratio fructuum, immo & solutio æquivalens? Quantum sapio, quantum capio alia hujus causa non est, nisi quia requiritur solutio in specifica forma; & sic dico, me non posse in casu, Absque perjurio, illa centum tibi non solvere, in compensationem, &c.

CAS. III. Nobili ditissimo viri nupsit Thecla, miserabilis quidem puella, sed valde honesta, & pulchra. Q. an etiam marito contradicente, licet possit secundum istius facultates parentibus suis indigentibus alimenta ministrare. Resp. cum distinctione. Vel Thecla habet aliunde quo iis indigentibus alimenta ministret, puta, ex proprio lucro, ex quantitate aliqua ad liberum ejus usum ipsi concessa à marito, &c. Vel non habet. Si habet, dico, ipsam non posse contradicente marito, &c. Eo quia semel ac habet de proprio, quo parentum indigentiae subveniat, non est æquitati, ac justitiae consonum, quod sine ejusdem consensu illis subveniat cum rebus ipsius: etenim secluso casu necessitatis, non debet uxor eleemosynam dare sine consensu viri vel expresso, vel præsumpto, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 3. ad 2. Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonii, non sic tamen in alienatione rerum domesticarum; nam in hoc vir caput est mulieris secundum Apostolum 1. ad Cor. 11. Si vero non habet, censeo, quod moderate possit, sibi efformando hoc dictamen, quod non displiceat marito in corde, etsi contradicat ore; solent enim mariti facere prohibitionem uxoribus absolute, ut sic temperent eas, non à toto, sed ab excessu, quem suspicantur; ut inquit S. Raymundus lib. 2. tit. de furtis, §. 9. Et hoc maxime in casu præsenti, in quo agitur de alimentis præstandis parentibus ipsius Theclæ indigentibus, qui certo quodam modo ipsomet jure considerantur veluti parentes etiam viri, seu mariti; ut ex eo patet, quod parentis locum sacer obtinet in l. quia parentis, ff. soluto Matrim. Hinc scientiæ ac naturalibus parentibus ex naturali pietate debemus alimenta, quando indigent; ita (si non æqualiter, ex quo non sint parentes propriæ) saltem cum aliqua proportione etiam ipsis quodam honestatis jure debentur, ut probat Surdus de alimentis tit. 1. quæst. 39. ac propterea censeo, posse Theclam (etiam in casu, quo maritus ob tenacitatem expresse, ac ab-

solute nollet) cum moderatione clam eisdem alimenta ministrare, prius deposito servitudo; si enim maritus in casu est invitus, talis est irrationabiliter: quod voluisse innuere censeo S. Raymundum, cum post praecitata verba subjunxit: *Si autem omnino, & praeceps dictat ipsi uxori conscientia, quod viro displaceat, & scandalizatur inde, deponat conscientiam illam, si potest: si autem, non debet dare.*

### MENS. DECEMBER.

**CAS. I.** **T**heodora habet parentes miserrimos, & ex meretricio lucro huic usque eidem subvenit. At noscens miserum statum animæ suæ, si in sæculo permaneat, Parochum consulit, an liceat Parentes detelinquere, ac fieri Monialis Convertita. Quid Parochus respondet? Responderi posse, immo ipsam debere à sæculo se retrahere (si aliter noscat se absque peccato in sæculo non vixitam) ut peccandi periculum, & occasionem deserat, alioquin ipsam non esse absolutionis capacem; nam qui amat periculum, in illo peribit. Nec in casu obstat pietas in parentes miserrimos; nam ut docet S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4. in C. Religio, & pietas sunt duæ virtates. Nulla autem virtus aliæ virtuti contrariatur, aut repugnat: quia secundum Philosopham in Poedicamentis: Bonum non est bono contrarium. Unde non potest esse, quod pietas, & religio se mutuo impedianter, ut propter actum unius,actus alterius excludatur. Cujuslibet enim virtutis actus debitis circumstantiis limitatur, quas si prætereat, jam non erit virtutis actus, sed virtus. Unde ad pietatem pertinet, officium, & cultum parentibus exhibere secundum debitum modum: non est autem debitus modus, ut plus homo tendat ad colendum patrem, quam ad colendum Deum. Sed sicut Ambrosius dicit super Lucam: Necessitudini generis, divinae religionis pietas antefertur. Si ergo cultus parentum abstrahatur à cultu Dei, jam non esset piatatis parentum iusistere cultui contra Deum. Unde Hieronymus dicit in Epistola ad Heliodorum: Per calcatum perge Patrem, per calcatum perge Matrem, ad vexillum Crucis evola: sumnum genus pietatis est, in hac re fuisse crudellem. Et ideo in tali casu dimittenda sunt officia pietatis in parentes propter Divinum religionis cultum. Si vero exhibendo debita obsequia parentibus, non abstrahantur à Divino cultu, hoc jam pertinet ad pietatem: & sic non oportebit, propter religionem pietatem deservere.

**CAS. II.** Filiofamilias, adhuc sub patria potestate viventi, relieta fuere plurima bona, ea tamen conditione, ut ad eius Patrem non perveniat ususfructus eorumdem. Q. an hoc non obstante, Filius teneatur in foro conscientiae hunc Patri donare? Resp. neg. Siquidem in Athen. Exigitur C. de hon. quilibet, & in Athen. ut licet Matri & Aviæ col. 8. in princ. expresse definitum est, ut in bonis, quæ filii familiæ dantur contra voluntatem, patri non acquiratur ususfructus. Cum ergo filius in casu patri negando ususfructum talium bonorum, nullam eidem irrget injuriam; hinc sit, quod in foro conscientiae non teneatur filius eundem patri donare; ut forte ejus naturæ sit bona, ut in eis filius ex necessitate succedere debeat; cuiusmodi est legitima matris: in quo casu non potest tunc patri ususfructus adimi per præstatam conditionem; ut post Bartolum & Castrum probat Gomez in l. 48. Taur. n. II. quem citat

ac consequitur Rebellus de oblig. Just. lib. 1. q. 7. sect. 2. n. 15. Idem dicquoad Avum, & Proavum tum in casu prædicto, cum in aliis, in quibus de jure nec Patri, nec Avo, nec Proavo adventiorum ususfructus acquiratur, quem propterea filius in foro conscientiae illis donare non teneatur.

**CAS. III.** Filius per aliquod tempus non à patre, sed ab amico, suimet contemplatione, alimenta percepit. Quare talis filius possit exigere à patre æquivalens alimentis, quæ eo tempore ipsi pater præstare debuisset.

Resp. neg. cum Rosignolo de Matrim. 9. prænor. 14. n. 2. Bonacina, & aliis. Ratio est, quia cum pater non ex iustitia, sed naturali pietate teneatur filio alimenta præbere, solum quando sic indigeret, & aliunde non habet, nec potest habere; hinc sit, quod si ab amico per aliquod tempus sui contemplatione alimenta percipit, filius nequit exigere à patre æquivalens alimentis, quæ ipsi eo tempore, in amici defectu, pater præstare debuisset; nam filius tali tempore habuit quo sustentaretur, absque eo quod ficeret debitum: quod sufficit, ne pater ad ullam restitutionem, ac strictam refectionem teneatur. Nec dicat Azorius part. 2. Instit. Mor. lib. 2. cap. 4. q. 16. in foro exteriori licere filio, auctoritate Judicis, repetrere à Patre estimationem alimentorum; nam veritas est in contrarium, cum juxta dicta pater non teneatur filium alere ex iustitia, sed jure sanguinis, & ex quo ei vitam dedit, & quidem cum alimenta aliunde habere potest, l. si quis à liberis \$, si vel parens ff. de lib. agnosc. in quo casu si pater ea neget, utique filius implorare potest officium Judicis, ut illa ipsi à patre præbeantur: & solum in casu, quo alimenta sunt debita jure actionis, puta, legati, vel similis, etiam præteriti temporis peti possunt, ut tenet Bartolus in l. liberis, quos \$, manumissis n. 3. ff. de Aliment. & Cibar. Item in Cons. 21. vol. 1. n. 4. ac Surdus de Aliament. tit. 1. q. 32. n. 40. Diversimode foret dicendum, si filius debitum ferri esset, ut se aleret. Item si pater filiam infans exposuisset, ac faciam nubilem impediret quomodo filio alitoris nuberet, nam tunc titulo ingratitudinis omnia alimenta præteriti temporis reddere teneretur, l. Patre, C. de Nupt. estsi regulariter qui filiam exposuit, non teneatur alimenta reddere, quæ alius præstitit, l. 1. Cod. de Infant. expos.

**CAS. I.** **A**Y ius partis in eleccione Novi Pagioli sive Pagiellis, ex cuius iis Sacrae Scripturae concordantibus dicitur illi sufficiat. denuo ha-  
bitum inibus inibus miscellacionis. Q. in simones beccalium con-

**CAS. II.** **I**hesus Christus, cum aliis magistris esse discensionem inter selegit. Item Petrus, ac Paulus diligunt Secundum Petrum, ut operando munere Prodigii, ut seculi Sacrae Scripturæ, si pote in pascit. O. ut pascit.

**CAS. III.** **C**um dies suuatis anni, ac dies suuatis anni, & Tessalios prescribunt, pascit in diebus

**D**omiunicis, aut in diebus iusta Ognianis: Q. ut Proocles rati diebus

**M**agistrorum de Reditu in causis corporis? H. duplex iustis Ognianis

**C**ordocis Cypriani?

**p**artem duplum, in causa de Regno, in causa de Regno,